

que emit hospes a rutheno, ea ruthenus presentabit ad libram sine expensis hospitis, sed hospes dabit ponderatori IX. schin pro cap, non plus. Quicumque ponderator constituetur, in quacumque libra ponderabit, osculabitur crucem, quod cuilibet ex utraque parte equaliter pondet. Ponderator argenti hospitibus predictis ponderabit sine precio. Quicquid argenti examinatore receperit ad comburendum de hospite, superposicionem decomputabit de tali argento, quale ab eo recepit. Cum hospes argentum suum facit ponderari, vna ponderatio debet fieri in una scala, et secunda ponderatio, si placet hospiti. Si aliquis hospes argentum uendiderit examinatori argenti, et, quod ei ponderator argenti exponderat, ille, qui recipit, non reportat; super hoc nogardienses respondebunt. (Stater) lode, qui dicitur cap, debet in grauitate continere VIII. liuonica talenta.

Item per funem sancti petri debet hospes mensurare bona sua.

Cum hospites hyemales uel estiuales exierint a curia et uenerint ad vorsch, tunc, si uolunt, accipient vnum ductorem scilicet vorschkel, cui dabunt VIII. capita martarorum et vnum panem.

Quicumque hospites sunt in curia estiuales uel hyemales, et habeant equos, eis utantur bona sua, uel fratris sui, libere adducendo et deducendo cum suis equis.

Curia gotensium cum ecclesia et cimiterium sancti olai et prata adiacentia in omnibus libera erunt secundum iusticiam habitam ab antiquis.

Uia a curia gotensium trans curiam regis usque ad forum libera erit et edificiis inoccupata, libertate, quam rex edidit constantinus. Item circa curiam eorundem gotensium, secundum iusticiam antiquam ad VIII. passus edificia poni non debent, nec lignorum congeries circumponi, nec aliquid in ea fieri debet preter ipsorum voluntatem.

Item curiam gilde, quam iidem gotenses vendiderunt, non tenentur renouatione pontis aliquatenus procurare.

Jura et libertates prescriptas, quas hospites mercatores sibi in dominio regis et nogardiensium sibi fieri postulant, heedem libertates et iura ipsis nogardiensibus cum in gotlandiam uenerint in omnibus impendentur fauorabiliter et benigne. Amen.

1709.

1252 d. 24 Mars.

Grefvinnan MARGARETAS och Grefven GUIDOS af Flandern Bref om de förmåner, hvilka blifvit Gottlandsfarare förunnade.

K. v. 233.

Nos MARGARETA, Flandrie et Hanovie comitissa, et nos GUIDO filius eius, comes Flandrie et Hanovie, notificamus omnibus et singulis presenti-

bus et futuris presentem paginam inspecturis, quod ad instanciam universorum mercatorum romani imperii Godlandiam frequentantes ad honorabilium missorum Hermani filii Ogeri de Lubeke et Iordani de Hamboreh requisitionem de nostra bona voluntate volumus et concedimus, quod nullus mercatorum in comitatu Flandrensi duello provocetur, nec aliquis eorum propter forefacta bona alterius sed malefactorum pro suo delicto secundum scabinagium et legem terre satisfaciat et puniatur. Nullus etiam mercatorum imperii pro alterius debito coram Scabinis in Flandria contracto vel recognito detineatur nisi principalis debitor vel fideiussor existet, et si continget principalem debitorem et fideiussorem vel fideiussores ipsius ante solutionem totius debiti recedere et non reverti, et per fideiussores non satisfacere, ita quod oportet creditores eos sequi ad civitates vel oppida, ubi habent domicilia, Scabini vel iurati loci illius facient satisfieri creditori a principali debitore, vel fideiussore, vel ab eorum heredibus, sicut habent in bonis secundum iudicium et dictamen Scabinorum Flandrie, coram quibus dictum debitum recognitum fuerat vel contractum, si autem non essent ibi bona, quod sufficiat, fiat iudicium secundum legem et consuetudinem dictorum locorum *). Nullus etiam mercator debet in littoribus Flandriæ bona sua propter naufragium amittere, quod de fluctibus poterit eripere, sed pacifice fruatur eisdem. Preterea mercatores vel eorum naves, cum fuerint onerate, si prius non fuerint calumpniate legitime de aliqua re, violenter non detineantur, vel arrestentur nisi recens factum evenit, vel aliqua causa subsit, propter quam teneri possent, secundum terre consuetudinem. Si vero propter debitum fuerit mercator calumpniatus, per scabinos purgare se poterit iuramento suo, et si se purgare noluerit, solvet et emendet secundum legem loci. Ut autem omnia premissa in perpetuum robur obtineant firmitatis presentes litteras sigillorum nostrorum appensione fecimus roborari. Datum anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo dominica Palmarum.

1710.

1266. Odat.

Wiborg.

Danske Kanslern, Biskopen NICOLAI i Wiborg vidimation af Páfven Clemens IV:s Bulla af d. 11 Oct. 1265.

A. 3. d.

N. dei gracia Wibergensis Episcopus Illustris Regis Dacie Cancellarius. Vniuersis Presentes Litteras Inspecuris, Salutem In Domino. Noueritis nos

*) Originallet har här af ålder varit förtärdt. Jfr L. c. 53.